

Gai. 4, 11

Actiones, quas in usu veteres habuerunt, „legis actiones“ appellantur vel ideo, quod legibus proditae erant, (...) vel ideo, quia ipsarum legum verbis accommodatae erant et ideo **immutabiles** proinde atque leges observabantur. Unde eum, qui de **vitibus succisis** ita gessit, ut in actione vites nominaret, responsum est rem perdidisse, cum [quia] debuisset **arbores** nominare, eo, quod lex XII tabularum, ex qua de vitibus succisis actio conpeteret, generaliter de **arboribus succisis** loqueretur.

Gai. 4, 12

Lege autem agebatur modis quinque:

- sacramento,
- per iudicis postulationem,
- per conditionem,
- per manus iniunctionem,
- per pignoris capionem.

Gai. 4, 16

Actor: HUNC EGO HOMINEM EX IURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO; SECUNDUM SUAM CAUSAM Sicut dixi, ecce tibi, vindictam inposui (*et simul homini festucam inponebat.*)

(Adversarius eadem similiter dicebat et faciebat.)

Praetor: MITTITE AMBO HOMINEM.

Actor: POSTULO, ANNE DICAS, QUA DE CAUSA VINDICAVERIS.

Reus: IUS FECI, SICUT VINDICTAM INPOSUI.

Actor: QUANDO TU INIURIA VINDICAVISTI, D AERIS SACRAMENTO TE PROVOCO.

Reus: ET EGO TE.